



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 32. De concordia Cæsarem inter & Venetos actum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. stantia de externis verborum solemnitati-
 A.C. 1512. bus parum sollicitus erat.

§. XXXII.

*De concordia Cæsarem inter &
 Venetos actum.*

Persæpe pacis Conciliatores concordiam Imperatorem inter & Venetos revocare incassum conabantur, litigantibus nunquam cedere cogitantibus: Nunc vero inter ceteros postremus, ac præcipuus de reddenda hac pace articulus agitabatur, Gurcensi Episcopo proponente, quod Venetis relinquuntur Patavium, Tarvisium, Brixia, Bergamum, & Crema adjectis tamen duabus his legibus, quibus Veneti harum urbium nomine unacum annuo triginta aureorum millium censu etiam Cæsari clientelarem fidem profiteri, necnon ducenta aureorum millia numeratæ pecuniæ pro feudorum diplomate pendere tenerentur, Cæsari vero Vicentina, & Veronensis ditio, cunctaque in Reipublicæ imperio ab eodem parta relinquerentur, nullumque Venetis in illa jus ultra suffragaretur. Ast Respublica imperium in populos suos tenere assueta, has condiciones nimium duras reputans, eas acceptare recusabat, significans, quod, haud amplius Veneti si Vicentiam cederent, Bresciam ac Bergamum tueri

tuari possent, & cum aliunde perpetuum Vi-
centinis præsidium polliciti essent, se sal-
vo Reipublicæ honore, & sine datæ fidei læ-
sione ejusmodi conditionibus acquiesce-
re non posse asserabant. Hæc a Venetis
non immerito proponi, agnoscebat Julius,
verum singulorum vires in Gallos u-
niendi desiderio abreptus, has propositio-
nes quantumcunque duras a Venetis ra-
tas haberi peroptabat, nihilominus Gur-
censem Episcopum precabatur, ut eas
justo moderamine temperaret; idem quo-
que rogabat Helvetiorum Orator Romæ
legatione functus, qui promisso viginti
quinque aureorum millium annuo censu
cum Republica inducias nuperrime san-
xerunt; ast cuncti surdas pulsabant au-
res, Germanis de jure suo nihil remit-
tentibus, Venetisque cunctas conditiones
rejicientibus.

§. XXXIII.

*Julius Papa, relictis Venetis, cum
Cæsare foedus paciscitur.*

Julius pacem maturare desperans, cui
parti accedere magis expediret, sedu-
lo considerabat, ac Germanorum socie-
tatem Sedis Apostolicæ commodis ma-
gis proficuum ratus, relictis Venetis, cum
Cæsare adversus eos foedus pepigit,
non modo ut illius amicitiam sibi prome-
reretur,

Ee 3.

Sæcul. XVI
A.C. 1512.

Guic. lib. xx